

meditatione pensatis, idem Imperator ad nostrum beneplacitum et consilium predictorum transfretandi terminum in festo beati Iohannis baptiste post biennium proximo secuturo, prompta voluntate suscepit, corporale super hoc exhibens spontaneus iuramentum. Denique ut ad id plenius suum manifestaret affectum, et plus fidei daretur negotio ac omnino suspicionis contrarie scrupulus tolleretur, ad instantiam patriarche predicti et aliorum orientalium in nostra et fratrum nostrorum presentia et multitudinis hominum, qui ad colloquium venerant, se ducturum in uxorem legitimam filiam regis eiusdem iurisiurandi religione firmavit. Sane probabili presumptione tenemus, quod a Domino factum est istud, ut votis fidelium obtate^p rei successus exolvat, quod preconcepte spei preludia promiserunt, ad sui restaurationem negotii tuum et aliorum regum ac principum animos ipse filius summi regis accendet, qui de secreto patris in publicum egressus, ad servos ad ima descendit, ut subditis ad summa pararet ascensum, sub testa nostre mortalitatis, figulus in terris visus et cum hominibus conversatus, tuum proculdubio expetit et expectat auxilium, causa Christi et probatam domus tue potentiam desiderat Terra Sancta. Numquid non^q habuerit^r de iuventutis tue primitiis et de maioris etatis reliquiis quasi de vite decima^s non habebit? O quantum accresceret eiusdem Terre subsidio, si de propagata devotione patris in filios per unum ex ipsis subvenires in tante necessitatis articulo crucifixo. O quam magnifice ad succursum devota Gallia se pararet, ut mittendi^t placeret et misso. Absit, ut post terga remaneat, que precedere consuevit. Absit, ut tam salutari Christi servitio gens tam Christiana se subtrahat. Absit, ut que pro Domino hactenus onera multa sustinuit, in peculiari bello Dei filii solvat militie cingulum, arma relinquat rubigini, animum neget victorie, cum corona non desit victoribus per gratiam et meritum in presenti, per gloriam et premium in futuro. [*Dispositio*] Hinc est, quod excellentiam tuam affectuose rogamus, serenissime regum, et a te instanter exposcimus^u, Christianissime principum, obsecrantes per patrem et filium et spiritum sanctum per sanguinem Ihesu^v Christi, ut exurgas in adiutorium Christi tui, qui quodam modo in se prodigus et parvus in servis, temporali morti se tradidit, ut te a faucibus mortis eriperet sempiternae. Exurgas et liberes terram illam, in qua salutem humani generis operatus est personaliter ipse salvator. Exurgas ad contritionem nationis prave atque perverse, que ubi sit Deus Christianorum, impropere, et multis insultat opprobriis^w nomini Christiano. Et quidem illatas subditis tuis

p) optate E. q) qui E. r) habuit E. s) decimam E. t) mittenti E.
 E. u) poscimus E. v) Iesu E. w) obprobriis E.